DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

NOVEM OBSERVATIONES

AD

COLICAM SATURNINAM

PERTINENTES

QUAS

ANNUENTE INCLYTA FACULTATE MEDICA

IN

ANTIQUISSIMA, AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PUBLICÆ DISQUISITIONI

SUBMITTIT

JOANNES PROCOPIUS POKORNY,

BOEMUS STEKNENSIS.

A. A. L. L. ET PHILOSOPHIÆ DOCTOR.

Diſputabitur in univerſitatis Palatio.

Die Menſis Martii Anno M. DCC. LXXVIII.

VIENNÆ,

LITTERIS A GHELENIANIS.

LECTORI.

Obſervationibus rem medicam ditari, hisque ſinceris, caſtisque, utut forte circa vulgatiora verſantibus honorem, nomenque manere perpetuum, abunde conſtat.

Ea res me permovit, ut paucis hiſce plagulis Novem hiſtorias, iis, quas ante commemoravi dotibus donatas, committerem, in noſocomio practico collectas, tanquam imaginem quam-

dam dirissimi morbi, atque in nostris hisce terris perfrequentis. Exacte obſervando *potius prodesse volui, quam pulchre, sed inutiliter* opinando *placere.*

HISTO-

HISTORIA PRIMA.

5. Junii Anno 1776.

C. Juvenis annorum viginti, & duorum, Pictor præterito autumno febri continua laborabat, ex qua convalefcens δυσπεψία, & vomitibus fpontaneis a paftu tentabatur. Sublatum eft etiam hoc ventriculi vitium remediorum ftomachicorum ope. A decem feptimanis abdomine dolet continuo, fed fubinde gravius. Auctis tamen præter modum quodam die doloribus nofocomium quoddam petiit, ex quo brevi poftea ab inteftinorum cruciatu non ex integro immunis difceffit. Obambulando ægrotabat, & ante ingreffum in nofocomium, & poft difceffum fuis femper laboribus functus.

A quatuor decim diebus alvus dura, a quinque vero diebus multo ſtrictior. Fæces nunquam caprinæ. A prima Junii dedolatio, nauſea, dejectus adpetitus, leves horripilationes calore fugaci interpolatæ. Dolor circa umbilicum lancinans, noctu gravior. Die ſequenti dolor major, noctu increſcens. Vomitio ſpontanea, bilioſa, viridis per intervalla, quæ & ſequentibus diebus recurrebat. Nunc artuum inferiorum pondus adeſt, linqua alba, os ſiccum, ructus non pravi, nauſea tamen. Non adperit. Sitit. Præcordiorum anxietas. Pulſus fortis, durus, non celer, nulla paralyſis, nulli dolores artuum quaſi rheumatici, nec ardens mictus obſervabatur.

Datum Althææ decoctum cum manna. Injectus clyſter oleoſus. Alvus nulla. Vomuit ſemel pauca, adſumpta. Remediis prioribus adjectum ſal amarum eſt. Cataplaſma ad abdomen adplicatum, & clyſma datum eſt. Inde fæces multæ cum levamine magno eductæ ſunt.

Die 6ta gravitas artuum inferiorum emendata. Pulſus fortis, tenſus, duruſque. Dolor in abdomine multo mitior. De brachiorum pondere, aut alio incommodo nunquam querebatur. Repetita eadem remedia ſunt.

Die 7ma dolor ut heri. Sed accedit ſuperiorum artuum gravitas. Remediis hucuſque adhibitis ſequens hodie mixtura jungebatur.

℞. Aquæ

℞. Aquæ flor. Chamom. unc. V.
Extract. Hyoſcyami
Camphoræ ana gr. XII.
Syr. flor. Chamomillæ unc. jj.

Omni quarta hora ſextam partem ſumat. Unde ſexies alvum cum magno levamine, & artuum omnium emendatione poſuit.

Die 8va Junii levis per intervalla in abdomine dolor ſupererat. Uſus poſtmodum æger hyoſcyamo & camphora eſt, ac die 15ta ejûſdem menſis per omnia ſanus diſceſſit.

In hoc ægro noctes ſemper difficilores fuere. Curæ, cordique Cl. Stoll Profeſſori Praxeos medicæ publico erat, ne ægri citius, quam ſanitas ex integro confirmaretur, ex noſocomio abirent.

HISTORIA SECUNDA.

5ta Julii.

22 Annos natus Pictor ante quinque dies, cum pravo antea victu uſus eſſet, ſemel etiam æſtuante corpore perfrigeraretur, adpetitum ſibi imminui, flatibus infeſtari multis, & animo præprimis dejici querebatur. Dolor nullibi. Alvus facilis. Poſt duos dies hac ratione peractos pulverem digeſtivum veſperi, & ſequenti mane purgans ex Jalappa ſumpſit. Quinquies purgabatur.

tur. Sed caluit eo die, friquitque per vices. Vomiturivit, & corpus quasi fustibus cæsum questus est. Ea vespera accessere pedum spasmi, & dolores eorumdem tensivi. Ex eo alvus substitit. Levis quoque brachiorum dolor, & digitorum per intervalla rigiditas supervenit. Umbilicalis quoque regio doluit, moderate tamen.

4ta Julii, præter hucusque dicta vomitio crebra ingestorum, spontanea, æruginosa, & cardialgia urgebant; ea nocte multum angebatur, & crura acerbius dolebant.

5ta Julii, qua ad nos venit, vomitus spontanei aderant, & alvus stricta, leves in abdomine dolores, graviores in cruribus. Summa lassitudo cum ardore cutis per sinistrum abdominis latus a quinque diebus hucusque persistente. Non febricitat. Ardorem in abdomine per intervalla queritur.

Æger hic emulso purgante ex sale amaro, & manna aliquoties propinato, cui semper aliquid camphoræ jungebatur, enematibus, & nervinis usum purgantium interpolantibus intra breve tempus convaluit.

HISTO-

HISTORIA TERTIA.

20. Julii.

Operarius 32. annorum, cum ſuam Pictori operam locaſſet, ceruſſam ſuper marmor lævigando in pollinem perfrequenter conterebat. Is ante 14. dies ventriculum ſibi quaſi contorqueri ſenſit. Mox fluere alvus cum levamine cepit.

A ſeptem diebus dolor ventriculi per intervalla gravior, ardens, contorquens. Dolor quaſi iſchiadicus per externam femorum faciem ad caput uſque fibulæ decurrebat. Mictus acceſſit ſtrangurioſus. Brachia præ immani eorumdem pondere elevare, aut cruribus inſiſtere præ debilitate haud poteſt.

Die 19. Julii. ſponte bilioſa vomuit, alvum ab aliquot diebus difficilem experitur. Nullum guſtus vitium. Lingua ex flavo albicans.

Datum 20. Julii. emulſum purgans eſt ex ſale amaro & manna confectum, adjecto pauxillo camphoræ, injectum acre enema, & propinatum decoctum eſt ex herbis emollientibus paratum. Alvus ſemel, & parce mota eſt. Dolor idem.

Altero die mixtura ex aqua flor. Chamom. unc. V. Opii puri, camphoræ āā gr. IV. Syrup. menthæ unc. j compoſita exhibita fuit. Cataplaſmata ex emollientibus herbis, & Chamomilla ventriculo adplicabantur. Idem decoctum, & ene-

enema idem. Inde alvus bis, & copiofior pofita eft. Urinæ largior fluxus & expers dolorum. Ventriculus minus doluit.

22da Vix ullus dolor fupereft. Alvus una, fpontanea. Sumpfit poftea fequentem mixturam.

℞. Olei amygd. dulc. recent. frigide
preffi unc. jß
Vitel. ovi recentis N° j.
Aquæ flor. Chamomillæ unc. IV.
Opii puri
Camphoræ. āā gr. IV.
Syrupi menthæ unc. j: M. D. U.

Inde die 23. alvus una, facilis fecuta eft. Nullus dolor amplius.

Die 24. caput obtufum eft, ceterum bene fe habet. Emulfum purgans.

Die 25. Julii bene per omnia fe habet. Datæ funt dein pilulæ ftomachicæ ex fagapeno, gummi Galbano, Caftoreo, camphora, qualium ufu intra exiguum tempus penitus convaluit.

HISTORIA QUARTA.

22. Julii.

Iuvenis 19 annorum Pictor ab aliquot iam annis aliquoties ex colica pictonum ægrotabat. Ante fex dies cardialgia ventriculum & inteftina per vices quafi controquente afficiebatur. Vomi-

turiebat ſimul, nanſeabat, alvumque habebat diarrheicam. Ante quatuor dies alvus compreſſa ſponte eſt, & auctus abdominis cruciatus. Acceſſit laſſitudo, omnium artuum pondus grave, vomituritiones continuæ.

Die 20 Julii omnia, uti pridie.

Die 21 ter ſponte vomuit flava, æruginoſa, acida, amara. Alvus ſtricta. Mictus frequens, urinæ copioſæ. Linqua pura, os mucoſum. Ructus ſapore ſalino. Vomituritiones, dolores ventriculi, & inteſtinorum contorquentes, modo graviores, mitiores modo. Pulſus pleni, fortes, duri, non febriles eo, & ſeqüenti, quo ad nos venit, die obſervabantur. Emulſum purgans, cui pauxillum camphoræ iungebatur. Enema, & cataplasma ad totum abdomen præſcripta fuerunt.

Die 23tia Alvus nulla. Eadem omnia. Hinc mixtura oleoſa cum opii & camphoræ gr. VI. exhibebatur.

Die 24ta Præmiſſo heri opio, & camphora injectus clyſter oleoſus alvum emollivit. Dolores primo nulli amplius, veſperi denuo redeunt, prioribus tamen multo mitiores.

25ta Emulſum purgans cum pauxillo camphoræ datum, & abdomen oleo chamomillæ, cui camphora commiſcebatur, inunctum eſt. Inde alvus ſemel poſita. Dolores exigui, & per intervalla recurrunt. Noctes toto morbi tempore difficilio-

res

res fuere. Subjungebatur mixtura oleosa, & dein alia ex aqua Chamomillæ, Syrupo Chamom: & Extracto Chamom. qua per aliquot dies usus & alvi libertatem, & pristinam ab omni abdominis incommodo immunitatem obtinuit, ac die 6ta Augusti sanus discessit.

HISTORIA QUINTA.

25. Julii.

30 Annorum pictor hoc anno binis vicibus ex colica saturnina decubuit. Ante quatuordecim dies prima morbi symptomata comparuerunt, rheumaticus nempe crurum dolor, isque adeo gravis, ut vix incedere valeret. Dolor item in hypogastrio, vomendi conatus, vomitusque spontanei, biliosi: ructus multi flatulenti, absque alieno sapore. Oris amaror continuus. Nauseæ. Alvus difficilis. Tensio in cervice. Urina facilis, copiosa, aquosa. Ante 12 dies purgante sumpto decies & quinquies dejecit, ac vomuit ter absque levamine. Ante 5 dies venam sibi tundi curavit, inde non levabatur. Ante 3. diet denuo hausto pharmaco alvum quinquies, & sexies vomitum movit. Inde vero cephalalgia corripi, & caput fieri temulentum cepit. Noctis inquies, insomnia, pavores. Linqua ad nos venienti biliosa fuit. Non adpetiit. vomiturivit, nauseavit. Anxietates,

tes, umbilici retractio. Dolor circa umbilicum lancinans, cum ardore hypogastrii per intervalla recrudescente. Crurum rheumatismus. Alvus a biduo restitans enemate mota est. Pulsus plenus, durus, naturali paulo celerior, absque calore præter naturam. Urina libera, & sanorum instar.

Data enemata fuerunt, & adhibita cataplasmata. Decoctum emolliens pro potu erat. Propinabatur emulsum mannatum cum sale amaro, & pauxillo camphoræ, sed sine levamine. Mixtura oleosa cum camphora, & sine opio non profuit: caput fiebat magis temulentum.

Dies 27. Julii. Intra biduum ternæ sanquinis missiones institutæ sunt, quas pulsus prædurus, capitis temulentia, & instans delirium postulare videbantur. Levamen nullum, graviora omnia.

Die. 28va. Mane artus inferiores convelluntur; linqua porrigitur multum extra os, tumet, & dentibus commordetur. Stupidus, & quasi adtonitus est, mentis tota die impos. αφωνος, cum tardissimo corporis, artuumque omnium motu, ac toto quasi corpore semiparalyticus. Pulsus non duri, molles, naturalibus celeriores. Urina sanorum. Hoc rerum statu mixtura oleosa cum opio & camphora exhibebatur, qua absumpta altero die mens, major membris mobilitas rediit. Injectus acer clyster fæces copiosas eduxit.

Die

Die 30. Repetita eadem mixtura. Dolor in abdomine exiguus, major artubus vigor rediit.

Mixtura ex tota chamomilla, adjectis opio & camphora, brevi convaluit, ita, ut die 6ta Augusti se æque sanum, ac antea diceret.

Nihilominus diutius in nosocomio retinebatur, ut non nisi probe confirmatus abierit.

Sub continuato opii usu alvus etiam absque purgante, aut enemate quotidie una alterave vice respondebat, & artuum vires augebantur.

Noctes magis laboriosæ fuerunt: interdiu mitius habuit.

HISTORIA SEXTA.

25. Julii.

32 Annos natus Pictor a tribus diebus dolorem ventriculi, & intestinorum contorquentem, urentemque queritur, ac noctu graviorem. Lotium missurus diuturnum conatum exprimendæ urinæ adhibet, donec ea tandem cum ardore prodeat; umbilicus modice introrsum trahitur. Tensio hypochondriorum, & anxietas. Ardor in exiguo dorsi spatio, item per externa femorum parce decurrens. Scroti corrugatio, constrictioque præter modum, & testiculorum retrotractio, rotatio: alvus nulla: vomituritiones. Lingua biliosa, ructus multi flatuosi, & inadpetentia adest. Pulsus fortis, plenus, durus absque calore.

Adplicatum cataplasma ad abdomen eſt; datumque decoctum ex emollientibus herbis. Clyſteres emollientes injecti fuerunt, & hauſtus oleoſi ore adſumpti.

Inde levamen, ſed perexiguum obſervabatur.

Die 28. Julii. Mixturam oleoſam cum camphora & opio æger ſumpſit; eo die adſumptis ſex opii per intervalla granis ſecuta alvi libertas eſt, & ſymptomatum omnium emendatio.

Die 31. Julii. Etſi hucusque oleoſa mixtura cum camphora, & opio propinaretur, alvus tamen libera, & facilis manſit, nullusque artuum torpor, quin auctum potius eorumdem robur obſervabatur Caput nunquam ſub opii uſu temulentum. Nullus ullibi dolor, aut ardor.

Uſus poſt modum camphora, & ſtomachicis, nervinisque eſt. Et die 7ma Auguſti ſanus diſceſſit.

HISTORIA SEPTIMA.

3. Aprilis Anno 1777.

Pictor 53. annorum, qui pigmenta, quibus utitur, ipſe terit, penicillaque mala conſuetudine inter pingendum lingit, quaternis hac hyeme vicibus colica pictonum, eaque ſemper gravi correptus eſt. Antea ſemper ſanus. Die Jovis (3tia Aprilis) conquerebatur dolorem ingentem to-

totius abdominis, & cardialgiam. Vomiturivit, vomuitque. Acceffit tefticulorum retrotractio, rotatio. Et artuum dolores. Alvus nulla. Somnus nullus. Urina libera.

Die veneris vomitus frequentior, cardialgia major. Dolores lacerantes, vagi, per totum abdomen, fubinde etiam lumborum. Ardor œsophagi in fauces usque afcendens. Artuum ingens dedolatio, fuperiorum tamen major, quam inferiorum. Penis & tefticulorum introtractio. Alvus nulla. Urina ftranguriofa.

Sumpfit illico gr. jß opii ex fyrupo menthæ, dein vero fequens remedium.

℞. Aquæ flor. Chamomillæ unc. V.
Olei amygd. recen. & frigide preffi
Vitello ovi fabacti —
Syrup. flo. Chamom. āā unc. j
Camphoræ gr. VII.
Opii puri. gr. IX.

Adplicato enemate alvus femel, & parce mota. Levamen nullum.

Die 5ta Aprilis caput dolet. Vomituritio. Vomitus rarior, quam heri. Os amarum, linqua impura. Horripilatio, & calor per intervalla redeunt. Sitis multa. Pulfus omni modo varians. Urina ftranguriofa. Alvus nulla. Adplicatum enema eft. Sumpfit decoctum emolliens & mixturam oleofam cum camphoræ & opii āā gr. VI.

6ta

6ta Aprilis. Caput dolet. Linqua humida, albeſcens. Sapor oris amarus. Vomiturio. Iactatio multa. Singultus. Abdomen plenum, tenſum, ſumme dolens, ad adtactum dolet acute. Dedolatio, & dolor artuum tam ſuperiorum, quam inferiorum. Dolet æque tota dorſi ſpina. Teſticulorum rotatio. Urina tenesmoidea. Pulſus inæqualis. Somni pauci. Alvus nulla.

Remedia priora, enemata frequentia ſale gemmæ adjecto.

7ma. Aprilis. Caput dolet. Oris amarities nulla. Linqua bona. Vomituritio nulla. Singultus rarior. Dolor per totum abdomen perſtat. Artuum gravitas, dedolatio. Palpitatio cordis ingens. Inter mingendum ſubitanea, & momentanea introtractio penis, teſticulorum. Urinæ fluxus liberior. Alvus copioſa ſemel mota cum flatu multo, & multo levamine. Pulſus ut heri. Somni diuturniores.

Remedia eadem, & enemata crebra, ac leviter ſtimulantia.

Die 8va Aprilis. Caput & linqua bona, ſingultus admodum rarus. Dolor in abdomine mitior, adtactum tamen rudiorem non ferens. Artuum ſuperiorum dedolatio minor. Alvus enemate ſemel mota. Palpitatio nulla. Urinæ ſtillicidium. Retrotractio nulla. Dolet cutis per totnm corpus ad adtactum. Pulſus celerrimus, inæqualis. Al-

** vus

vus adhuc octies mota. Somnus inquietus ob alvi frequentiam.

Cum alvus ope enematis emollientis, modiceque ftimulantis, dato hucusque opio inteftinorum fpafmi effent refoluti, decocto pofthac emolliente, mixturave ufi eadem fumus, adjecta eadem camphoræ dofi, fed opio pofthac omiffo.

9na Aprilis. Os bonum. Abdomen dolet minus. Urina libere pergit. Artuum dedolatio perftat. Alvus ter mota. Sumpfit fequens:

℞. Aquæ flor. Chamom. unc. V.
Extracti Chamomillæ. dr. β.
Camphoræ —— gr. VI.
Syrupi Chamomillæ unc. jj: M D. U.

10ma Aprilis. Adplicato enemate alvus bis mota. Levis doloris admonitio in abdomine. Dedolatio minor. Somnus bonus. Remedia priora.

11ma Aprilis. Dolor in abdomine vix non omnis evanuit. Alvus fponte bis mota. Somnus bonus. Repetita fuere eadem remedia.

Die 12ma Aprilis. Ex continuato mixturæ cujusdam amaricantis, & ftomachicæ ufu convaluit integre, & 20ma fanus abivit.

HISTORIA OCTAVA.

Die 9. Maii.

Idem, cujus morbum nunc defcripfi, Pictor, cum trifti neceffitate coactus perniciofum denuo labo-

laborem resumeret, iterum hodie ad nos venit. Die prægresso mercurii incepit dolere ex ventriculo, & abdomine toto, dolore contorquente. Caluit, friguit alternis vicibus cum capitis dolore. Os mucosum. Vomituritiones per intervalla. Artunm cunctorum ingens dedolatio. Alvus semel mota, tenesmoidea.

Die Jovis (8va Maii) Exacerbabantur omnia; accessit levis testiculorum rotatio. Alvus nulla. Somni pauci, turbati.

Die 9na Maii advenit. Caput dolet, mitius tamen, quam heri. Os amarescens. Linqua humida, alba. Vomituritio frequentior. Vomitus nullus. Cardialgia ingens, ad adtactum aucta. Dolet per totum abdomen dolore scindente. Dolet quoque cutis corporis universa, si contrectetur. Artuum dedolatio major. Testiculorum rotatio, dolor, retrotractio. Urinæ tenesmoideæ. Alvus nulla. Sitis multa. Pulsus omni modo irregularis.

℞. Aquæ flor. Rhæad. unc. V.
Olei amygd. dulc.
Vitello ovi subacti
Syrup. flor. Chamomillæ aa unc. j.
Opii puri
Camphoræ aa gr. VII: M. D. U.

Simul decoctum de Althæa propinabatur.

Die 10ma Maii. Somni pauci. Alvus nulla. Dolor artuum per noctem major. Vomituritiones

 pau-

pauciores, leviores. Caput hodie minus dolet. Os amarum. Linqua impura, biliosa. Cardialgia, atque per totum abdomen dolor lancinans, ad adtactum auctus. Artuum, totiusque corporis dolores obtusi. Urina, alvus, pulsus, ut heri. Eadem mixtura, idem decoctum sumebatur.

Die 11ma Maii. Bene dormivit. Caput minus dolet. Artuum omnis dolor protinus evanuit. Ad cardiam nullum amplius dolorem percipit, & fert adtactum paulo rudiorem. in hypogastrio dolor obtusus, minus scindens ac heri: facilior artuum motus. Urina adhuc cum tenesmo mittitur. Alvus nulla. Pulsus inordinati, minus duri. Adplicatum enema statim absque fæcibus rejectum.

Medicamentis usus est æger iisdem hucusque.

Die 12ma Maii. Somni turbati cum insomniis. Capitis dolor vix ullus. Cardia adhuc ad adtactum dolet. Abdomen molle, cum levi doloris sensu. Urinæ difficiles. Præmisso emolliente enemate, purgans ex salis amari unc. j β. opii gr. j. & camphoræ gr. jj in aqua & syrupo menthæ dabatur.

Vomuit inde pauca, mucosa, biliosa. Alvum posuit sexies. Intermixtæ fæces caprinæ. Data deinde mixtura Chamomillæ est cum camphora, at absque opio.

Die 13tia Maii. Dormivit multum. Caput bonum. Cardiæ dolorem ad adtactum percipit. Cum dolor per totum abdomen per intervalla scindens

redi-

rediret, urina cum conatu denuo mitteretur, recurreretque artuum dedolatio, ac dolor obtusus, priori mixturæ denno additum opium est. Alvus nulla. Pulsus ut ante.

Die 14ta Maii. Somnus laudabilis. Caput bonum. Abdomen ad adtactum mediocriter dolet. Artuum movendorum maior facultas. Pulsus minus irregulares. Alvus ad vesperas ope enematis, semel mota, copiosa. Urina tenesmoidea.

Mixturam ex Chamomilla cum camphoræ & opii āā gr. V. sumpsit.

Die 15ta Maii. Somnus, caput, sicut heri. Abdomen ad adtactum minus dolens. Delolatio. Urina paulo liberior. Alvus nulla. Mixtura eadem exhibebatur.

Die 16ta Maii. Bene dormivit. Dedolatio minor. Dolor abdominis ad adtactum imminutus. Artus mobiliores. Urina multo liberior. Alvus nulla, pulsus adhucdum irregularis.

Mixtura hesterna usus est.

Die 17ma Maii. Alvus enemate semel mota. Levis in abdomine dolor. Dedolatio. Urina, & pulsus ut heri. Præscripta est mixtura ex chamomilla, champhoræ gr. V. absque opio.

Die 18va Maii. Alvus nulla. Cetera ut heri. Eandem adsumebat mixturam.

Die 19na Maii. Ischias lateris dextri accessit. Alvus semel sponte mota. Dedolatio minor. Ab-

domen tantum ad adtactum leviffime dolet. Urina libera. Eadem remedia.

Die 20ma Maii. Dolor ifchiadicus minor. Alvus fponte bis prodiit. Vix ullus abdominis dolor. Debilitas artuum inferiorum. Dolor ad articulos. Cetera bona. Medicamenta priora.

Die 21ma Ifchias omnis difparuit. Alvus fpontanea, facilis. Abdomen bonum. Cetera emendata. Reconvalefcit.

Ex continuato ufu mixturæ chamomillæ cum camphora, adfumtoque dein medicamento ftomachico 26ta Maii. integre fanus difceffit. Ufus corticis peruviani primas vias firmabat.

HISTORIA NONA.

31. Maii.

Pictor, 20. Annorum a longo tempore fanus ante quinque dies querebatur in regione epigaftrica dolorem fcindentem, redeuntem per intervalla. Adpetitus dejectus erat. Sapor ova putrida referebat. Multum caluit. Hæc fymptomata per quinque fubfequentes dies exacerbabantur. Acceffit lotii excretio difficilis, ftranguriofa. Alvus a triduo nulla. Vomituriebat.

Die 31. Maii ad nos venit. Caput obtufe dolet. Oculi nebulofi. Lingua alba, mucofa. Adpetitus nullus. Dolor ad cardiam inter refpirandum.

dum. Dedolatio magna. Vomituritio. Vomitus aliquoties ſponte motus. Dolor per totum abdomen lancinans. Urina frequens, ſtranguriosa. Alvus nulla. Ani introtractio. Rheumatiſmus nullus. Pulſus plenus, fortis, durus. Enema a retracta, & conſtrictiſſima ano mox rejiciebatur absque effectu. Sumit mixturam oleoſam cum opii & camphoræ gr. VII. Decoctum ſpecierum emollientium.

Die 1ma Junii caput minus dolet. Lingua alba. Vomitu frequenti ſemel lumbricum rejecit. Cardialgia ad adtactum aucta. Dolor per omne abdomen ſcindens, ardens. Alvus nulla. Urina tenesmoidea. Ani introtractio. Pulſus fortis, plenus, durus. A meridie facta V. S. eſt unciarum X. Sanguis cruſtam phlogiſticam exhibuit non craſſam. Medicamenta eadem repetuntur.

Die 2da Junii caput bonum. Adpetitus nullus. Vomituritio. Vomitus tamen nullus.. Abdomen, & cardia ad adtactum dolent. Dolor lancinans ſupra oſſa pubis. Dedolatio. Urinæ difficiles, ſtranguriosæ. Alvus nulla. Sumit mixturam ex chamomilla ſuperius deſcripta ratione confectam, cum opii & camphoræ aa gr. IX. oleum omiſſum eſt poſtea, quia non ſemper habebatur *recens*, & quia alvo diutius clauſa id *rancidum* fiebat, & nidoroſa illuvie ſyſtema gaſtricum offendere credebatur.

 Die

Die 3tia Junii. Caput & os bonum. Vomituritio. Cardia ad adtactum dolet. Dolor in abdomine minus ſcindens. Alvus nulla. Urinæ hucuſque ſtrangurioſæ. Omnium artuum ingens dedolatio. Propinatum eſt ſequens remedium.

℞. Aquæ communis unc. jj
Salis amari unc. jβ
Syrup. mannati unc. j
Opii puri gr. jβ

Pharmacum hoc mox absque effectu revomuit; hinc ad veſperas denuo datum eſt purgans per epicraſim ex ſalis amari unc jj opii gr. j & camphoræ gr. jj. Adplicatum enema cum electuario Hieræ picræ. Vomuit inde bis, alvus vero quater mota. Perſtat dolor artuum rheumaticus, & dedolatio. Sed abdomen minus dolens, & urinæ liberiores.

Die 4ta Junii. Alvus per noctem adhuc quinquies mota. Somni reficientes. Caput & os perſtat bonum. Oculorum adhucdum per intervalla caligo. Dolor ad cardiam nullus. Obtuſus doloris in abdomine ſenſus. Rheumatiſmus nullus. Dedolatio. Urinæ liberæ. Vomitus nullus. Nulla vomituritio. Nox bona.

Data eidem eſt mixtura ex chamomilla cum opii & camphoræ āā gr. VII.

Die

Die 5ta Junii levis in abdomine dolor. Artuum dedolatio. Oculi nebulosi. Alvus nulla. Cetera bona. Mixtura eadem.

Die 6ta mane exhibitum denuo purgans.

℞. Aquæ menthæ unc. jjj
Salis amari unc. jß
Opii gr. j
Syrup. menthæ unc. j: M. D. U.

Inde alvus octies mota. Dedolatio. Sed dolor nullus.

Die 7ma dormivit multum. Dedolatio minor. Alvus bis mota. Cetera bona.

Die 8va & 9na omnia mitiora. Alvus nulla. Hucusque quotidie mixturam ex chamomilla cum opii & camphoræ $\overline{aa}$ gr. V. sumpsit.

Postea eadem mixtura, sed absque opio præscribebatur.

Die 12ma Junii ex continuatis hisce remediis nervinis, datisque dein stomachicis integre convaluit.

Interpositæ sunt binæ purgationes ob id, ne quid mali faciant pravæ reliquiæ sordium diu retentarum, præcipue tempore febrium gastricarum epidemico.

Opium idcirco purganti addebatur, ut solvat spasmum, alvi obstinatæ causam, dum interim purgans effectum edit. Testor id cum effectu optatissimo multoties evenisse. Sæpissime alvus copio-

ſo dato opio per plures conſequentes dies *ſponte* prodiit, & absque purgante.

Fortiſſima purgantia, & enemata fruſtra adplicantur non præmiſſo opio, atque in emetica convertuntur.

Ceterum in curanda colica ſaturnina ſequentia adtentione medicantium digna connotavi.

Methodus illa, quæ emollientibus, mucilaginoſis, oleoſis enervare Saturni vires intendit, rariſſime, aut nunquam ſola ſatisfecit. Subinde præter remedia emolliendi, obtundendique virtute prædita, purgantia quoque per vices propinabantur, eaque leniora plerumque; leviores equidem colicas hac methodo ſanatas vidimus, etſi perpaucas.

Validiora pharmaca alvum non moverunt, ſed aucto ventris cruciatu vomitiones enormes concitarunt.

Solis emeticis, etſi ægri bilioſiſſima pati ſymptomata viderentur, non juvabantur. Narcotica mirum quantum profuerunt, & non ſolum modo doloris ſenſum fallebant, dirum hercle! non raro, & cum miſerabili aliquando ægrotantium ejulatu, ſed & infringere vim veneni obſervabantur *diutius protracta, parvisque data doſibus, atque iis, quæ opium contraindicabant, prius remotis. Contraindicantia* hæc fuere: primo bilioſæ ventriculi ſordes, quas plerumque per æſtatem, & tempore

bi-

biliofo copiofas in iis vidimus, qui ex colica faturnina ægrotabant.

Has fi ægri fponte removuerant, & abundanter, mox ad opiata acceffimus eventu fortunato. Etenim fopitis abdominis fpafmis pervius denuo reddi inteftinorum canalis cepit, pertinaciter, & diu antea conclufus, & atrox dolor fopiri.

At qui fponte non vomuerant, turgentemque multa bile ventriculum habuerunt, his dato emetico vomitum ipfi movimus, ac tandem ad noftrum nepenthes confugimus, dolorum folamen.

Impuro ventriculo, & præfente biliofa illuvie opium valdopere nocuit, calores auxit, febrimque concitavit biliofam, putridam, malignam.

Quodfi biliofa, putridaque febris hominem colica fimul faturnina vexatum una tenuerat, ambigua erat, & difficillima curatio; cum, quam colica petierat narcoticam medicinam, ipfa deterior fæpe febris averfaretur.

Andabatarum in morem pugnare tunc oportuerat, & morbo nunc huic, nunc illi obviam ire, ut quisque acrius urgebat.

Altera res, quæ opium in colicæ principio non admittebat, plethora fuit, aut phlogofis; quippe in hominibus ceteroquin robuftis, & tempore inflammationibus favente, ficco, hyemali, vernoque, abdomen ab affiduo veneni ftimulo vellicatum fubinde phlogofim concepiffe videbatur;

hinc

hinc opio ſanguinis miſſiones, & emollientia ore haurienda, ano injicienda, & admovenda abdomini, præmiſimus. Diſcuſſa phlogoſi fortunate opiatis utebamur.

Pertinacia alvi multis ſæpe diebus catharticorum quorumcunque, & irritantium clyſterum vim eludentis narcotica non prohibuit: opium enim, quod aliis alvum concludere ſolet, eandem his reſerabat. Id forte ob ſpaſmos contingit ventris libertatem ſufflaminantes, nunc opio conſopitos.

Extractum hyoſcyami opio poterat ſurrogari, præcipue, ubi laudani protractiori uſui vis veneni ſaturnini videbatur aſſueſieri. Minutior hyoſcyami doſis id tunc effecerat, quod ab opii largiori vix obtinebamus.

Nunquam artubus captos vidimus illos, quibus mature poterat opium propinari, priusquam virus ſaturninum nervos ſtrangulaſſet.

Nervina alia aliquid ad celeriorem curationem videbantur contuliſſe, atque in his præcipue camphora, caſtoreum, & gummi ferulacea.

THE-

THESES.

I.

Morbos æſtivos hyems ſuccedens ſolvit: & hyemales æſtas ſuccedens transmutat. Hippocrates.

II.

Hyeme, & verno tempore, ſi eæ anni partes a genio conſueto non deflectant, inflammationum dominium eſſe ſolet.

III.

Has inter frequens Pleuritis, & Peripneumonia obſervatur.

IV.

Cujus utriusque morbi ſedem cum Morgagnio, & Hallero, & plerisque recentioribus in ipſo pulmone ſtatuimus.

V.

Sanguinis largius, aut parcius educendi neceſſitatem non ex cruſtæ phlogiſticæ præſentia vel abſentia metimur.

VI.

Nec ex ſolo lateris dolore, neque ex pulſu ſolo, ſed maxime ex reſpirationis conditione, dolore quidem & pulſu non neglectis.

VII.

In curando utroque hoc pulmonum morbo ſtadium *cruditatis* apte diſtingui debet a ſubſequente morbi conditione.

VIII.

Eo enim durante expectorantia per eminentiam ſic adpellata Kermes &c. non conveniunt, neque etiam veſicantibus tunc locus eſt.

IX.

Serius vero utroque hoc remediorum genere non raro dextre utimur.